





4

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**CONSTITVTIONE EPIDEMICA**

EX MVTATO CORPORIS HVMANI CALORE,  
TAM SPECIFICO, QVAM SENSIBILI,  
EXPLICANDA;

QVAM

P R A E S I D E  
**D. AVGVSTO FRIEDERICH HECKER**

FACVLTATIS MEDICAE PROFESSORE PVBLICO, ORDINARIO, ET ASSES-  
SORE EXTRAORDINARIO, ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE  
SCIENTIARVM UTILIVM, ET SOCIETATIS NATVRAE CVRIOSORVM HA-  
LENSIS SOCIO, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIAR. GOETTINGENSIS  
LITTERAR. COMMERCII CONJVNCTO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DIE XVIII. APRIL. MDCCXCI.

HORIS LOCOQUE CONSVENTIS

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI

S V B M I T T I T

W J L H E L M K O G K  
ERFORDIENS.

---

ERFORDIAE

LITTERIS I. C. GOERLING, ACAD. TYPOGR.





DE  
CONSTITVTIONE EPIDEMICA

EX MVTATO CORPORIS HVMANI CALORE  
TAM SPECIFICO, QVAM SENSIBILI  
EXPLICANDA.

Caput I.

*De constitutione epidemica in genere.*

I.

Calor dupli ratione corporibus inest: *ligatus* et intime  
cum reliquis corporis cuiusdam partibus constitutivis  
subactus, vel *liberatus*, ita ut vix ac ne vix cum hisce partibus  
cohaereat. Hic *sensibilis*, ille *specificus* (materia caloris li-  
gata) dicitur.

A

2. Ca-

## 2.

Calorem nec statum nec qualitatem, sed materiam quan-  
dam elementarem, affinitatis legibus subiectam esse, docue-  
runt recentiores. Materia caloris omnibus fere corporibus  
certa atque definita proportione inhaeret, et omni huius pro-  
portionis mutatione, ipsa corporis mixtio plus minusve tur-  
batur, alteraturque. Est igitur materia caloris pars corporum  
constitutiva, quae, ut partium constitutivarum utplurimum  
ratio est, sensu haud explorari potest.

## 3.

Omnis chemica affinitas limitibus gaudet exacte definitis.  
Sic salis alcalini Vnc. I. certam et definitam acidii copiam re-  
quirit, ut saturetur; sic omne menstruum tantum e corpore  
solvendo attrahit, quantum propter curatissimas affinitatis  
leges solvere potest. Simili ratione quodvis corpus termi-  
natum affinitatis gradum cum materia caloris alit, ita, ut  
citra hunc gradum, ne minimum quidem caloris amplius  
recipiat.

## 4.

Affinitas corporum cum caloris materia valde mutabilis  
est. Hinc fieri potest, ut corpori ceterum haud vel parum  
mutato, pro circumstantiarum ratione, plus minusve caloris  
ligati inhaereat.

5. Ma-

5.

Materia caloris liberatur, corpus incalescit, et calor tactu et thermometro sentitur, quando:

- 1) tanta caloris iam liberati copia corpori communicatur, quanta, secundum affinitatis leges (3), reliquis partibus constitutiyis haud immisceri potest.
- 2) mixtio corporis turbatur, ita, ut partes constitutivae vel seingantur et separentur, vel novam mixtionis rationem proportionemque ineant. Sic v. g. calor extricatur, mutando fluidum quoddam corpus in solidum, aërifforme fluidum in vaporem, vaporem in fluidum stricte sic dictum, e. f. p.

6.

Extricando e corporibus calore, eunderaque liberum reddendo, saepe lux producitur. Derivatur a materia lucis, qua materia caloris intime nupta, phlogiston produci perhibent.

7.

Imminuitur calor sensibilis, et frigus, quod caloris defectum vocant, oritur:

- 1) Si corporis cuiusdam affinitas in calorem adeo increvit (4), ut maiorem possit ligare copiam, quam alio tempore, loco, cet.

A 2

2) Si



2) Si mixtio corporis alteratur. Sunt enim mixtionis alterationes aliae quibus augetur (5), aliae quibus immunitur sensibilis calor. Sic v. g. calor sensibilis decrescit, abducitur, et in ligatum mutatur, solvendo salia in liquore aquoso, mutando volatilia in vapores seu fluida aërisformia, rel.

## 8.

Quae de affinitatis legibus, copiam caloris et ligati et sensibilis in corporibus exacte determinantibus, jam prolatas sunt (1-7), corpori humano, eiusdemque partibus, et praeterea reliquis sanguini, rite applicant, caloris animalis originem inde derivantes. Sic, v. g. sanguis humanus, affinitatis quadam vi, materiam caloris continet, quae, si justam proportionem non excedat, pro parte sanguinis constitutiva seu essentiali, habenda est. Cum vero affinitas corporum, cum caloris materia valde sit mutabilis, necesse est, ut sanguis etiam humanus, pro rerum quae circumstant, ratione, alio tempore plus, alio minus caloris ligati, et in partem constitutivam mutati contineat. Hinc caloris animalis seu sensibilis mox abundans magis, et facilius extricanda copia, mox angustior, difficiliorque. Modus extricationis alias diximus \*).

## 9. In-

\* ) Kachel Diff. de calore animali. Erford. 1790. 4. A. F. Hecker resp. F. E. Schroeder Diff. de methodo refrigerante et antiphlogistica per recentiorum, de calore animali doctrinam, explicata. lb. cod. 4.

## 9.

*Increcit sanguinis et reliquarum c. h. partium, in caloris materiam affinitas, decrescente earum densitate, et cohaesione (7. 2). Hinc aestivo calore urgente, et in regionibus servidiore sole gaudentibus, sensibilis caloris maior quantitas in partem corporis nostri constitutivam mutatur, et hac mutatione insensibilis redditur. Est enim aestivo tempore sanguis fluidior, massa humorum tenuior, solida molliora et longe minus densa. Oritur haec solidorum fluidorumque constitutio: ipso calore, attenuante, emolliente, relaxante; — potu aquoso multo, siti hoc tempore magis urgente, ingurgitato; — nutrimento vegetabili, ex oleribus praeferunt, vel fructibus horracis, rel. quod alma natura verno, aestivo, et autumnali tempore materna manu largitur, avariori in regionibus frigidis gelidisque, liberaliori in calidis, praeferunt ubi toto fere anno sol fervet; — rel. Hisce omnibus perficitur, ut sensibilis caloris gradus, qui in homine, Physiologia docente, semper idem est, aestivis caloribus haud vel parum augeatur.*

## 10.

*Decrescit sanguinis et reliquarum c. h. partium cum caloris materia affinitas, increscente earum densitate et cohaesione (5. 2). Fit hoc urgente frigore hyemali condensante, constringenteque. Absunt conditiones, aestivo tempore contrarium efficienes (9), et liberatus calor, corpus tangens,*

A 3

haud

haud insigitur, sed calorem animalem alendo sustentandoque relinquitur.

## II.

Nomine *constitutionis epidemicae*, quatenus statum quendam externum designat, peculiaris quaedam qualitas rerum s. d. non naturalium, aëris praesertim et nutrientorum venit, qua corporis humani propensio quaedam vel dispositio ad certum quoddam genus morborum producitur, aliturque, et morbi ex eodem genere vel frequentiores, quam alias fieri solet, ingruunt, vel epidemice grassantur, vel sporadicis malis fœse immiscent.

## I 2.

*Causae constitutionis epidemicae* habentur: frigus verale, aestivale, autumnale, praesertim si gelidae noctes, diebus calore servidis interponuntur; — tempus hyemale nimis calidum, humidum, frigore vel nullo vel brevi tantum interruptum; — omne, quod a sueto tempestatis ordine recedit; — defectus nutrientorum ex regno vegetabili, olerum, fructuum horraeorum, rel. quo fit ut homines nutrientis, hyemi alias destinatis, per aestatem quoque utuntur; — quaevis mala conditio ciborum, ex regno vegetabili desumptorum, quae, uti defectus, a nimia coeli siccitate, humiditate, frigiditate, rel. dependet; — annona cara; — miasma varia, quae aëre corpori nostro communicata, statum atque

que mixtionem tam solidorum quam fluidorum diversimode alterant; rel.

13.

Omnis constitutionis epidemicae caussae, varia quidem et multiplice ratione corpus nostrum afficiunt, vel transpirationem turbando, vel digestionem, vel respirationem, vel circulationem, etc. Omnium vero cardo, rebus rite pensatis, in eo vertitur: *ut partium corporis nostri, sanguinis praesertim, cum caloris materia affinitatem mutent, — maiorem aestivam minuant, — minorem hibernum vero augent* (9. 10).

14.

*Constitutio epidemica, ut status internus corporis considerata* (11), *in mutata et praeternaturali affinitate partium corporis cum materia caloris consitit.* — Proabant hanc sententiam:

- 1) Modus agendi *caussarum* epidemicae constitutionis, in corpus humanum (13).
- 2) Morborum, vi constitutionis epidemicae grassantium *Sympathomata*, quae omnia fere ad turbatum caloris animalis gradum atque perversam ordinem redeunt.

3)



3) *Prophylaxis* morborum, ab epidemica constitutione provenientium, quae in genere in conservatione idoneae affinitatis sanguinis in calorem consistit.

4) Eorundem denique morborum *curatio*, quae dictam affinitatem, ut rei necessitas postulat, vel maiorem, vel minorem reddit.

## 15.

Constitutionem epidemicam, a praeternaturali, quae corpus nostrum et caloris materiam intercedit, affinitate derivantes, haud negamus: vis vitalis constitutionem, primarum viarum conditionem, humorum et blanditiem et acrimoniem, morborum coexistentiam et complicationem, quamcunque aliam caussam morbificum etc. in constitutionis epidemicae consideratione, maximi momenti esse. Imo aetas huius loci est.

## 16.

Loquuntur de variis constitutionis epidemicae generibus, quorum plurimi haud firmo innituntur tali (Cap. VI). Prae reliquis simplicitate sese commendat eiusdem constitutionis divisio in *inflammatoriam*, *cattarralem*, *bilosam*, et *putridam*. Iam de singulis seorsim!

Caput

## Caput II.

### *De constitutione epidemica inflammatoria.*

17.

Constitutione epidemica inflammatoria praedominante, frequentiores proveniunt febres inflammatoriae, topicae inflammationes, et qui ab inflammatoria s. d. dispositione dependent morbi. Sporadicis chronicisque malis, alias ab inflammatione toto ut aiunt coelo diversis, inflammatorii quid adiungitur.

18.

Omnis morbi inflammatorii signum evidentissimum est: caloris sensibilis augmentum, quo sit, ut, sensibilitate haud alienata, vel totum corpus, vel inflammatum solummodo pars, plus minusve incalescat. — Morbi inflammatorii, omnesque fere morbi, constitutione inflammatoria regnante, oborti, sanantur methodo refrigerante et antiphlogistica, qua praeter naturam auctus corporis nostri calor imminuitur.

19.

Tempus, quo constitutio epidemica ad inflammatoriam vergit, hyems est, et quando frigidum coelum praedominat. Hoc tempore affinitas corporis ad calorem minima est, calor liberatus, vel corpori admotus, vel in ipso corpore forte ob-

B

ortus

ortus et extricatus, non vel parum subigitur, reliquis sanguinis partibus constitutivis haud apponitur, ideoque in caloris materiam infixam non mutatur, et hinc varia aut in universo corpore, aut in singula quadam parte, symptomata excitat inflammatoria. Accedit aëris frigiditas, quae corpus irritando, omnes fere functiones actionesque, præfertim oscillatorium vasculorum sanguiferorum motum, auget, accelerat, et sic infixum sanguinis ignem liberando, calorem corporis sensibilem copiosiorem reddit. —

Docet quidem experientia, hyberno tempore, et quando frigida tempestas regnat, constitutionem epidemicam fieri plerumque inflammatoriam. Sed quaeritur: an haec constitutio, ab aliis quoque caussis, corporis nostri cum caloris materia affinitatem reddentes minorem, provenire dependereque possit? — Sporadicæ inflammations, quarum ortus latet, et quae ab evidenti quadam caussa vix possunt derivari, forsitan ex immutata sanguinis cum caloris materia affinitate proveniunt cuius caussa haud facile invenitur. Sunt enim vel clandestinae, vel vix observabiles, siccitatis, humiditatis, elasticitatis, gravitatis, electricitatis, magnetismi etc. imo commercii cum calore, mutationes, quae in atmosphaera contingunt, quae omnes in corpus nostrum plus minusve agunt, quaeque sino ullo dubio sanguinis nostri affinitatem cum calore, diversimode mutant, et vel maiorem vel minorem

II

norem reddunt. Formatur ex his ad propositam quaestio-  
nem responso!

21.

Rarissime solitaria vel pura invenitur constitutio epide-  
mica inflammatoria, sed diversimode corrupta et complicata.  
Causae in corrupta et depravata hominum constitutione,  
quae culturam et naturae simplicitatis negligentiam sequitur,  
facile reperiuntur. Ponamus duos homines, regnante con-  
stitutione epidemica inflammatoria, a morbo quodam inflam-  
matorio affici; unum plebeium, robustum, sanissimum, op-  
tima vi vitali praeditum; — alterum aulicum, debilem, lu-  
xuriae omnis generis artibus perniciosissimis, educatione  
mollis etc. corruptum et ad varios morbos dispositum. — In  
primo morbus, ut corpus et vires aegroti, fortis est, inopi-  
nate et magna cum vi incipiens, mere inflammatorius, bre-  
vissimus, et — nisi mala praxi medica corrumpitur — abs-  
que omni incommodo, in plenissimam transtitit sanitatem. In  
altero variis generis signa praenuncia antecedunt, morbus,  
ut vires, debilis est, symptomata inflammatoria lenissima,  
paucia, fugitiva, et cum symptomatibus nervosis, biliosis,  
gastricis, ab acrimonii corruptelisque variis provenientibus,  
rel. complicata; — morbus fit longus, chronica relinquit  
mala, etc. — Sic arte mutantur, quae secundum epidemicam  
constitutionem, naturae legibus consentaneam, aliter fieri  
debuissent!

B 2

22.



*Prophylaxis* tempore constitutionis epidemicae inflammatoriae adhibendae cardo, in densitatibus partium corporis, sanguinis praesertim, imminutione, — nimii caloris liberati, vel in ipso corpore nati vel adventitii, evitazione, — et cautissima loci frigidioris cum calidiori mutatione vertitur. Dictae constitutionis in corpus nostrum actioni obest ergo: victus attenuans, potus frequentior, venaesecatio in plethoricas, omne quod sanguinem attenuat, et solida humectat, emolit, commoratio in loco nec nimis calido nec frigido, consuetudo omnes aëris mutationes impune ferendi, e. s. p.

### Caput III.

#### *De constitutione epidemica catarrhalis.*

Morbi, qui cum frequentiores grassetur, constitutionis epidemicae catarrhalis praesentiam prodent, sunt:

- 1) *Catarri* s. levioris gradus inflammations superficierum, ubi in statu naturali secretio humoris aquosif, mucosique perficitur, e. g. tunicae Schneideri et tunicae interioris glandulosae oris, oesophagi, laryngis, asperae arteriae, — imo intestinorum, urethrae et vaginalae. Vt plurimum defluxione catarrhalis comitatur.

2) Inflammationes muscularorum, aliarumve partium internarum, praesertim circa ossium iuncturas, quae cum ab inflammatione genuina diversi sint, rheumatismi numerantur.

3) Morbi, arthritici, podagrifici, rel.

24.

In omnibus hisce morbis, inflammationibus ceterum ut ovum ovo satis superque similibus, acrimonia quaedam, evidenter signis cognoscenda fere praebet. Vocatur catarrhalis, arthritica, rheumatica, podagrifica, etc. Derivant hanc acrimoniam: a miasmate quodam peculiari, irritante, aërem nescio quibusnam mirificis directionibus, pervolitante; — ab acrimonia peculiari, in ipso corpore oborta; — a corrupta materia perspirabili, quae suppressa erat; cet. Dicam de hac re, quae mea sunt:

25.

Constitutio epidemica catarrhalis, omnibus fere anni temporibus adesse potest; ut plurimum vero tempore verinali et autunnali regnat, ubi frequentiores et celeriores coeli frigidi cum calido in mutationes et vicissitudines contingunt. Hisce omnibus, et interdum, ut crederem, clandestina quodam atmosphaerae mutatione (20), corporis nostri, sanguinis praesertim affinitas in caloris materiam, frequentissimas et celerrimas subit mutations. Partem ideo sanguinis

constitutivam, infixum calorem puta, mox maiori, mox minori abundantia adesse, necesse est; quo sit, ut tandem mixtio sanguinis alteratur, mutaturque. Alterata vero mixtione sanguinis, varia in corpore oriuntur acrimoniae cuiusdam signa, quamvis veram sanguinis acrimoniam nec sensu nec experimento chemico compertam habere possumus. Simplicissima est dicta acrimonia, quamdiu mere catarrhalis manet; — in morbis arthriticis, rheumaticis, podagricis rel. acrimonia catarrhalis mirifice mutata, modificata, composita et complicata est. — Insultus arthritici, et omnia mala, quibus hisce cum morbis commercium est, ut nephritici dolores, apoplectici motus et insultus, e. s. p. plerumque contingunt, vel longiora, graviora, periculosiora redduntur, quando constitutio epidemica catarrhalis est. — Morbi partium s. d. catarrhalium (23. 1), constitutione epidemica catarrhalis dominante, longiores deterioresque fiunt. Sic v. g. leucorrhoeae et blennorrhagiae, quae in regionibus, ubi constitutio semper catarrhalis est, perdifficile, in nostris vero regionibus tardius sanantur, dum constitutio epidemica catarrhalis regnat. —

## 26.

*Prophylaxis* morborum catarrhalium, praesertim in causa frigoris cum calore mutatione, et in consuetudine omnes aeris mutationes impune ferendi consilisit. Saepe omnis cura, morbis catarrhalibus avertendis, impar est, quando ex

occulto

occulta atmosphaerae turbatione proveniunt. Prophylaxis arthritidis, podagrae, cet. cum haec mala complicata sint, non huius loci est. —

## Caput IV.

### *De constitutione epidemica biliosa.*

27.

Morborum biliosorum, polycholiae, febrium biliosarum, icteri, rel. frequentia, morborumque alias non biliosorum, ad polycholiā vergens natura, constitutionis epidemicæ biliosae praesentiam denotat.

28.

Si unquam aliquius constitutionis epidemicæ natura, sententiam nostram de harum constitutionum origine atque causa (13. 14), probando inservire possit, certe biliosae constitutionis ratio est! Oritur enim haec aestate adultiore et autumno, quando aestivales ignes maximi et siccissimi fuerunt, crebriores dierum calidissimorum cum noctibus frigidis vicissitudines contingunt, et olera fructusque horraci deficiunt. Aestate corporis cum calore affinitas maxima est, et eo maior caloris ligati quantitas in corpore colligitur, quo copiosior sensibilis calor vel in ipso corpore oritur, vel eidem

eidem ab externis communicatur. Fit hoc aëre praesertim calidissimo, et nutrimentis calefacientibus, multa caloris materia praeditis, alias tempori aestivali haud destinatis. — Bils omnem suam vim a phlogisto habet, oritur ergo ceteris paribus maior atque longe efficacior huius succi copia, dum in sanguine infixi ignis partes abundant. Haec partium biliosarum abundantia latet saepae, quando vi maioris assinitatis quasi celantur et absconduntur; mutata vero hac assinitate, v. g. frigoris in sanguinem actione, minore redditia, subito atque derepente, polycholia evadit evidentior, et morborum biliosorum cohors, rus pervadit atque urbes. Aggredit ut plurimum primo homines humilioris conditio-  
nis, et eo quidem maiori crudelitate, quo magis dictae bili-  
osae constitutionis epidemicae caussae, in eiusdem generis homines agunt.

Sunt, quae adiuvant et constitutionem epidemicam bili-  
osam, et morborum biliosorum ipsam eruptionem, *causae  
accessoriae*, ut animi pathemata, quae peculiari quadam vi in-  
bilem agunt; annona cara, quae ad insolita esculentorum  
genera homines compellit miseris; diaeta lautior, quae  
cibis potulentisque utitur permulta caloris materia nu-  
ptis, e. f. p.

## 30.

Morbi biliosi vario coque valde diverso comparent  
schema. Caussae sunt: propria, singulorum hominum con-  
stitutio, bilis abundantis corruptio vel depravatio varia,  
eiusdem bilis sedes varia vel in primis vel secundis viis,  
complicatio cum morbis inflammatoriis, catarrhalibus, pu-  
tridis, aliisque, cet.

## 31.

Methodus morborum biliosorum avertendorum, ex anteceden-  
tibus patet. Consistit in caussarum 28, 29 dictarum  
evitacione, quantum fieri potest curatissima. Praesertim  
diaeta acida polycholiae obest, non quidem alcalinae bilis  
corruptioni, ut olim credebatur, resistendo, sed potius su-  
perfluam, ut nobis videtur, caloris materiam absorbendo,  
cum acida et dictam materiam longe maxima intercedat affi-  
nitas. Sequitur inde necessitas, ut acida quibus eo utuntur  
fue, ut bili resistant, dephlogisticata propinentur. —

## Caput V.

*De constitutione epidemica putrida.*

## 32.

Constitutionem epidemicam putridam adesse dicunt, dum  
morbi putridi, febres praesertim putridae vulgares observan-

C tur,

tur, et aliis quoque morbis facile putridum quid sese adiungit, e. g. vulneribus gangraena, inflammationibus sphacelus, etc.

## 33.

Constitutio haec in fervidissimum anni tempus incidit, dum sanguis et reliqui humores tenuissimi, solidaque mollissima et summe relaxata inveniuntur. Hoc tempore affinitas corporis in caloris materiam maxima est, uti ex antecedentibus patet, et hinc facile eiusdem materiae plus in corpore colligitur atque absconditur, quam absque sanitatis periculo fieri potest. Simul vis vitalis energia, et sanguinis densitas vel potius coagulabilitas, summo calore externo debilitatur. In his vero putredinis universalis ratio consistit; est enim sanguinis putredo in corpore vivo nihil aliud, nisi immunita coagulabitas, solidorum putrescentia nihil, nisi vis vitalis summe fracta atque debilitata. Sanguinis solidorumque sic putrescentium partes constitutivae leviter tantum et valde debilitata affinitate inter se cohaerent, facileque separantur, unde calor s. d. mordax, digito explorante peculiari quadam sensu punctione observabilis; crux sanguinis macularum s. petechiarum forma sub cute effusus; serum acre, quod in vesiculis etc. colligitur, e. s. p. — Putredo universalis, quae in vivo corpore animali observatur, rite penitata, a vulgari putredinis idaea, quam longissime abhorret, et hinc potius proclivitas in putredinem dicenda esset. Quae in vera cada-

veris

veris putredine vere fiunt, in vivi corporis putrescentia universalis praeparantur tantum. Putredinis localis longe alias est, que nimur ad ipsam partis corruptionem et plenariam destructionem saepe extenditur. —

## 34.

Negari quidem non potest, calorem tam infixum quam sensibilem, multum ad putredinem in corpore animali excitandam conferre: *hic*, infixam caloris materiam augendo, in quam sanguinis affinitas, crescente tenuitate, crescit; sanguinem ipsum attenuando; viresque vitales debilitando; — *ille* intimam partium sanguinis constitutivarum mixtionem, qua mirabilis ille vitalis latex, diversa partium dissimilarium natura haud obstante, semper homogeneus conservatur, alterando, et ad facilem separationem pronam reddendo; calorem sensibilem iterum augendo, si quovisunque modo extricatur, &c. Interea tamen proclivitas tantum s. dispositio ad putredinem calore producitur, et producta nutritur. *Ipsa vero* morborum putridorum eruptio, ab aliis iisque diversissimis caussis dependet, v. g. a nutrimentis corruptis, in putredinem proris; ab animi variis pathematibus perturbationibusque, ipsam vim vitalem infringentibus; a miasmate vario, corpori vel aere vel contactu communicato; &c.

## 35.

Saepissime morbi inflammatorii, catarrhales, biliosi, e. c. p. in putridos transeunt, dum putrida constitutio epidemica

mica huic metaschematismo ansam praebet. Dantur ergo inflammations putridae, morbi catarrhales et bilioi putridi, &c. Putredo, vel in primis praesertim viis, vel in secundis haeret; in utroque casu varia adesse potest acrimonia, varia complicatio, variis putredinis gradus; — quae omnia ad caussas diversi morborum putridorum schematis referenda sunt. — Methodus morborum putridorum prophylactica facile ex praecedentibus colligitur.

## Caput VI.

### *De constitutionibus epidemicis aliis.*

36.

Sunt, qui de aliis constitutionis epidemicæ generibus loquuntur. Dicam memoratu dignissima:

1) *Constitutio epidemica, exanthematica* dicitur a frequentia morborum exanthematicorum. Interdum specifica quedam materia in caussa est, quae vel in ipso corpore nata, vel eidem aere, contactu, &c. illata, exanthema producit. Sic variolæ, morbilli, exanthema miliare, e. a. produci videntur. Epidemica quedam constitutio, sine dubio in caussa est, ut contagiorum morborum miasma modo facilius et frequentius in corpus nostrum agat modo eundem afficiendo plane impar sit. Proabant hanc sententiam variolæ sporadicae, quae certis tantum temporibus epidemicæ evadunt; — probant morborum contagio-

tagiosorum epidemiae, quae saepe saepius, novo anni tempore adveniente, plane atque subito intercipiuntur. — Sunt vero alia exanthemata, a specifico miasmate haud dependentia, quae tanquam symptomata in morbis proveniunt, e. g. petechiae in morbis putridis. Quod reliquum est, morborum exanthematicorum frequentiam nominis constitutionis epidemicae vix dignam censeo, cum morbi exanthematici vel mere inflammatorii, vel catarrhales, vel biliosi, vel demum putridi observentur, ita, ut exanthema complicationem potius, quam veram epidemicam constitutionem sistere videatur. Ceterum in exanthematum, acutarum praesertim, consideratione, tam pathologica quam therapeutica, calor corporis, praecipue sensibilis, maximi momenti est; sic v. g. exanthema eo facilius, celerius, et longe maiori copia erumpit, quo magis corpus calet, et quo liberior procedit caloris ad cutim depositio, et per corporis superficiem exhalatio. — Constitutio epidemica f. d. scabiosa, forte a frequentia Acari exulcerantis provenit, quae certis temporibus contingere potest. —

2) *Constitutione epidemica verminosa* regnante, vermes in corpore humano longe copiosiores existere dicuntur. Observarunt omnino morbos verminosos epidemice grassantes. Sed unde haec vermium frequentia? Num simul cum victu corrupto, putrescente, seminum verminosum ingeritur? Num aucto corporis nostri calore exclu-

excluduntur? — Quae de hisce quaestionibus disputant ad scopum nostrum haud pertinent; et praeterea morbi verminosi, secundum veram quam habent naturam considerati, vel inflammatorii, vel catarrhales, vel biliosi, vel, quod plurimum fieri solet, putridi existunt. —

- 3) *Constitutionem epidemicam gastricam nullam dari, facile patet.* In omnibus enim morbis, iisque diversissimis, status s. d. gastricus, qui cruditatum, primis viis inherentium summam comprehendit, casu potius, quam epidemicae constitutionis vi, adesse potest.
- 4) Eadem fere res est *constitutionis epidemicae pituitosae* et
- 5) *Constitutionis epidemicae nervosae;* pituita nimirum, et status nervosus, varii generis morbis, et diversissima quidem ratione, se se adiungere possunt. —
- 6) *Constitutio epidemica dysenterica* adest, dum morbi catarrhales (Cap. III), ad intestina devoluuntur. Morbus dysenteriam comitans, mox inflammatorius, mox biliosus, mox putridus, mox alia, eaque valde diversa ratione complicatus est. —

Haec sunt, quae *novam* de constitutione epidemica theoriā nostrā proxime attingunt. Velle, ut iusti rerum arbitri novam sententiatn, si forsan rigorosiore examine non plane indignam invenerint, vel emendarent, novisque rationibus firmiorem redderent; — vel argumentis refutarent. Nam aeque utilis doctorum virorum labor est: refutare errores, vel addere inventis nova inventa!

VD 10


**ULB Halle**  
005 364 396

3





B.I.G.



Farbkarte #13

4  
RTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
ITVTIONE EPIDEMICA

ATO CORPORIS HVMANI CALORE,  
SPECIFICO, QVAM SENSIBILI,  
EXPLICANDA;

QVAM

PRAESIDE  
VSTO FRIEDERICH HECKER

EDICAE PROFESSORE PVBLICO, ORDINARIO, ET ASSESSORIO, ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVNTINAЕ TILIVM, ET SOCIETATIS NATVRAE CVRIOSORVM HABITACULVM, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIAR. GOETTINGENSIS LITTERAR. COMMERCII CONJVNCTO,

RO GRADV DOCTORIS  
E IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
DIE XVIII. APRIL. MDCCXCI.

HORIS LOCOQUE CONSVENTIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SUBMITTIT

WJLH&LM KOGK  
ERFORDIENS.

---

ERFORDIAE  
TERIS I. C. GOERLING, ACAD. TYPOGR.